





Pr. 32. num. 5. 48

DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA,
De *Questione* :
An adoptatus nomen & fami-
liam patris adoptantis
consequatur. ?

1709, 2

19

Quam

In Academia Gryphiswaldensi,
Sub PRÆSIDIO

D. JOHANNIS
SCHACKII,

Professoris Juris Ordinarii, & Consi-
storii Ecclesiastici Assessoris,
publicè

In Auditorio Majori

die Augusti, Anno 1709.

defendet

JOH. GEORGIUS SCHILLING,
Gryphiswalda - Pomeranus.

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.



DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA
AN ADJECTIVUS NOMEN & TAMEN
LIAM PARTIS ADJECTIVUS
CONFERATUR.

IN ACADEMIA GYPSIIWALDENSI
SUB PRÆSIDIO


D. JOHANNIS
SCHACKII


PROFESSORIS JURIS ORDINARIi & CONS.
HOM. ECCELESIASTICI ALLESTONIS.

IN ACADEMIA GYPSIIWALDENSI
HABITANTE

JOH. GEORGII SCHILLINGII
GYPHISWALDEN-BOHEMENSIS

AVCTORIS DANIELIS BENJAMINI STARGII
REG. ACAD. TYPOG.





I. N. J. A.

CAPUT I.

De

Explicatione nominali quorundam vocabulorum,
quæ in proposita Quaestione continentur.


DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA

de

Quaestione :

An adoptatus nomen & familiam Patris adoptantis
consequatur ?

§. I.



Ntequam ad ipsam responſionem procedam, quam
ad propositam quaestionem ex Jure deduximus,
nobis incumbet quædam vocabula dictæ quaestio-
nis exponere, eaque liberare ab illâ ambiguitate,
qua fortean laborare possunt. Et quidem quod
ad vocem *adoptare* attinet, sciendum est, quod
illam in nostra Disputatione in propria signifi-

catione acceptemus, quatenus scilicet per adoptionem, illum, qui nobis
per naturam filius non est, ex legitimo actu in filium adscissimus; hinc
illam vocis mentem, quam Varro lib. 4. de lingu. latin. in phrasi *adoptare*
administratos, adhibuit, plane excludimus; siquidem *adoptare* hic solum-
modo pro *adscisere* sumatur: Vid. Calvini Lexic. Jurisd. pag. m. 41.

§. II.

Vocabulum *Nominis*, eodem modo, in sensu proprio à nobis capi-
tur; siquidem simpliciter quaeramus; an adoptatus nomen istius fami-
liæ, in quam per adoptionem transit, consequatur; aliàs per terminum
nominis denotatur ipsa actio, seu ipsum Jus, quod habeo contra debi-
tores; debitoris verò nomine omnis contractus & omnis obligatio indi-
catur: unde, si dono, lego vel vendo meorum debitorum nomina,
comprehenduntur debitores ex quocunqve contractu, & ex quacunqve
obli-

A

obli-

obligatione, siue civili, siue naturali, aded, ut etiam illud veniat, quod ex delicto vel quasi debetur. Ratio huius est, quod nomen illud omne fit, quod debitum est, & aliqua actione, petitione, vel persecutione exigi potest. *l. nomen. ff. de legat. 3. Vid. Jacobi Rigos à Mallesco Tract. ad tit. de V. S. pag. m. 26.*

§. III.

In appellatione familia potissimum respicimus ad Legem 195. ff. de V. S. ubi vox familiae partim ad res, partim ad personas refertur. Res significat, cum testator de sua familia, i. e. hereditate disponit iuxta verba, *L. 12. tab. Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legaverit, ita Jus esto. Si intestatus moritur, familia pecuniave ejus agnatorum genitulumque est.* Hinc Judicium familiae hereditariae, i. e. hereditatis dividendae proditum est. *101. iii. ff. & C. fam. heredit. hincque familiae emptor dicitur. §. 10. Inst. de testam. Ordin. vid. d. Jacob. Rigos pag. m. 529.* Quatenus autem familiae appellatio refertur ad Jus personarum, merito in hac nostra Disputatione continetur; imprimis propter verba d. l. 195. quae ita sonant, *Communi Jure familiam dicimus omnium agnatorum;* nam, etsi paterfamilias mortuo, singuli singulas familias habent, tamen omnes, qui sub unius potestate fuerunt, recte ejusdem familiae appellantur, quia ex eadem domo & gente prodierunt. Quinimodò ex *L. II. §. 2. ff. de honor. poss. secund. tab. & l. fin. C. h. v.* colligimus, quod sub vocabulo familiae omnia familiae Jura lateant; inter quae etiam apud Romanos Jus Imaginum, symbolum illud nobilitatis fuisse constat. *Vid. Tacit. Lib. 3. annal. C. fin. Lib. 5. annal. C. 1. Lib. 1. hist. C. 15.*

CAPUT II.

De

Adoptionis descriptione, divisione & effectu;
per quem simul respondetur ad quaestionem
propositam.

§. I.

Adoptio est actus legitimus, quo in locum filii aut nepotis ille assumitur, qui naturam talis non est. *l. 1. l. 25. §. 1. ff. de adopt.*
§. II. Haec

§. II.

Hæc adoptio duplex est; scilicet *arrogatio* & *adoptio in specie sic dicta*.
 §. 1. *Inst. de adopt. l. 1. §. 1. ff. de adopt.* Arrogatio est hominis, qui
 sui Juris est, in filium assumptio, causâ cognitâ, Principis rescripto facta.
 §. 1. *Inst. de adopt. l. 2. ff. b. 1.* Sed adoptio in specie sic dicta, est homi-
 nis, qui in potestate patris est, in filium assumptio, Magistratus Imperio
 facta. *dd. text.* Et dividitur in *plenam* seu *perfectam*, quæ fit ab aliquo
 ex ascendentibus; & *minus plenam*, seu *imperfectam*, quæ fit ab aliquo
 extraneo. *l. pen. in pr. & §. 1. C. de adopt.* Illa ob duplex vinculum,
 plenum potestatis & familiæ Jus transfert; hæc duntaxat adoptato
 Jus succedendi ab intestato tribuit. *Vid. Hoppii Exam. Instit. Juris.*
pag. m. 47. 48.

§. III.


His præmissis, quæritur: *An adoptati, cujuscunque sint generis vel
 conditionis, nomen & familiam patris sui adoptivi consequantur?* Ad hanc
 quæstionem respondemus (1) in genere, quod olim omnes adoptivi
 in familiam transferuntur, ut ex pluribus nominibus adoptatorum cogno-
 scitur. Moribus enim hoc inductum fuisse apud Romanos, testantur
 Historici; imprimis *Dion Casius, Lib. 46. histor. Rom. vid. quoque*
Tholosani Syntagm. Juris Civ. pag. m. 210. n. 26. Hinc de TITO POM-
 PONIO ATTICO legimus, quod post adoptionem vocatus fuerit
 QV. Cællius, QV. F. *Pomponianus Atticus. Vid. Histor. Rom. Tom. 1.*
pag. m. 347. n. 30. Moris enim erat, ut is, qui adoptabatur, præ-
 nomen, nomen & cognomen sumeret familiæ adoptantis, & plerumq[ue]
 proprium nomen in *annu* derivaret, unde *Octavius* post adoptionem
Octavianus dictus est, & P. Cornelius Scipio, *Æmilianus, vid. Histor.*
Rom. Tom. III. pag. m. 161. 165. dict. loc. Tom. 1 pag. m. 349. n. 39. & seqq.
 Sunt enim, qui putant, à *Marcellis Marcellinos*, à *Julius Julianos*, à
Domitiis Domitianos, à *Servilio Servilianos*, hac ratione dictos fuisse.
Vid. Calvini Lex. Jurid. pag. m. 41. Huic generali responsioni & hoc
 accedit, quod illi, qui in familiam adoptantis transiverunt, omnia fami-
 liæ Jura consecuti fuerint, *l. 11. §. 2. ff. de bon. poss. secund. tab. & l. fin.*
C. de adopt. inter quæ & Jus imaginum, symbolum illud nobilitatis à
 Romanis numeratum & habitum tuit. *Vid. Tacit. Lib. 3. Ann. C. fin.*
Lib. 5. Ann. C. 1. & Lib. 1. histor. C. 15. Et ex *l. 35. ff. de adopt.*
 A 2 notum

notum est, quod adoptio non minuat; sed augeat dignitatem. Quinimò, qui à Senatore adoptabatur, erat confors Senatoriæ dignitatis, quæ tamen fons est nobilitatis Romanæ. l. 5. 6. & 10. ff. de Adopt. Habn. ad Wesemb. de adopt. n. 6. Vid. Hoppii Comment. ad Instit. Juris. pag. m. 88. Quinimò, in Dissertatione Kulpisii de Adopt. & Emancip. Anno 1686. Argentorati habita, pag. m. 187. quoque docetur, quod Imperii Principes liberos adoptare possint, & talis adoptio eos effectus habeat, qui in Jure privato proditi sunt, nisi & alios producere, diserte adoptanti placuerit. Quinimò si ex consensu superioris & eorum, quorum interest, adoptati sunt, talis adoptio ad successionem in territorium, aut illustrem conditionem ubique valituram extendi potest. Vid. Titii specimen Jurispubl. pag. m. 473. Et ex historia Romana satis constat, quod illi, qui in testamento adoptabantur, & simul heredes instituebantur, in bona & nomen testatoris successerint. Vid. Cujac. Lib. 7. Obs. 7. Kulpisius d. l. pag. m. 143. quamvis propter l. 38. ff. de adopt. & lege confirmari debuerint. Quod autem ad Principes Germaniæ attinet, distingvendum est inter adoptionem privatam & publicam. In adoptionibus privatis Principes Germaniæ ad Leges Romanas non astringuntur; sed actus ejusmodi solo naturali ac Gentium Jure reguntur, cum hæcenus Principibus superiorem non recognoscentibus exæquentur; In publicis, si hoc non præcisè necessarium, saltem tutius & ad præcidendas lites consultius est, Romani Juris formulam sequi. Vid. Kulpis. d. l. pag. m. 182. Diximus autem in præcedentibus, quod Imperii Principum adoptiones, eos effectus habeant, qui in Jure privato proditi sunt. Ergo tales adoptati sunt in patria potestate, habent Jus nominis & familiæ; quinimò & illustrem dignitatem si superior consentiat. Vid. Kulpis. d. l. pag. m. 186. 187. 189.

§. IV.

Postquam itaque in genere, propositam quæstionem affirmavimus, jam progredimur ad illam responcionem, quæ fieri debet in specie ubi statim distingvimus inter adoptionem plenam & minus plenam. Hæc conficitur, quando Pater naturalis Filium suum extraneo i. e. illi, qui non est ex Ascendentibus, in adoptionem dat: quæ quidem onera transfert, lex pen. ff. de adopt. aut non potestatis aut familiæ Jura, quippe quæ apud Patrem naturalem remanent: nec aliud Jus hac adoptione conse-

consequitur adoptatus, quàm, si non emancipetur, Jus succedendi ab intestato. *J. 2. Inst. de adopt. l. pen. ff. h. t.* Fovet quidem contrariam sententiam celeberrimus *Dn. Johannes Jacobus Wissenbachius* in *Disput. 4. ad Lib. 1. Pandect. n. 31.* ubi provocat ad *l. 1. l. 31. l. 37. J. 1. ff. de adopt. l. 10. in pr. § 1. § 2. C. de adopt. J. 14. vers. hoc soluto. Inst. de heredit. quæ ab intest. defer.* Enimverò, quando illos Juris textus evolvimus, & debito modo examinamus, *Dn. Wissenbachii* contraria sententia per illos nullo modo probatur, sed potius *ex J. 2. Inst. de adoption.* & quidem expressis verbis docemur, quod minus plena adoptio Jus patris potestatis & familiæ secum non adferat. Dicit quidem *Dn. Wissenbach.* quod verba *d. J. 2. nec in potestate ejus est,* explicanda sint ex fonte, scilicet *ex d. l. 10.* distinguendo inter *petram rei veritatem, & fictionem Juris.* Sed illa distinctio totam controversiam non tollit. Quis enim præter *Wissenbachium* dixit, quod in hoc casu filius naturalis fingatur non transire in potestatem & familiam Patris adoptivi, ut saltem in bonis Patris naturalis sibi servet Jus legitimæ successione? potius opponimus *Dn. Wissenbachio J. 14. in verbis: integra omnia Jura servari Inst. de heredit. quæ ab intest. defer.* Si ergo Patri naturali integra omnia Jura servantur, sequitur, quod Jus familiæ & potestatis ipsi integrum servetur. Nec obstat, quod *Dn. Wissenbach.* dicat, Justinianum Imperatorem, verba illa, *omnia Jura, in d. l. 10. in pr. vers. omnia igitur,* plenius enarrasse; id quod *Dn. Wissenbachius* ita explicat. Olim ab extraneo adoptati naturalium parentum successione excidebant, & adoptione per emancipationem facillè soluta, ad neutrius Patris successione vocabantur. Hoc corrigens Justinianus, Jus legitime successione in bonis Patris naturalis integrum servari voluit, perinde, ac si in Patris naturalis potestate permansissent, quâ sanè fictione non fuisset opus, si revera mansisset. Enimverò, jam supra exposuimus, quod hæc *d. l. 10.* interpretatio sit *solum Wissenbachii,* qui ex Doctoribus Juris, vix aliquem consentientem habet. Quinimò *ex d. l. 10. J. in fine* potius docemur, quod extraneo in adoptionem datus, non succedat agnatis vel cognatis Patris adoptivi, neque hic acquirat usumfructum bonorum adventitiorum filii adoptati; sed Pater naturalis: quæ sanè verba satis evincunt, quod Pater naturalis, & non adoptivus filium extraneo in adoptionem datum in potestate



state & familia sua retineat. Huic accedit, quod extraneo in adoptionem datus, ab eoque in testamento præteritus, non possit testamentum Patris adoptivi dicere nullum *d. l. 10. §. 1. d. §. sed ea omnia. vers. testamento autem.* Ergo non est in ejus potestate; sed filiusfamilias à Patre præteritus, ejus testamentum nullum potest dicere, *pr. Inst. de exhered. Lib. 1. l. 3. §. 3. l. 17. ff. de injust. rupt. test. l. 30. ff. de lib. & postb. hered. instituend.* quia est in Patris naturalis potestate. Et de his adoptatis, quatenus scilicet minus plenè adoptati sunt, asserimus, quod per adoptionem nomen & familiam Patris adoptivi non consequantur.

§. V.

Quod autem ad plenam adoptionem atinet, non dubitamus, quin hòc modò adoptati nomen & familiam Patris sui adoptivi consequantur; siquidem hæc adoptio plenum Jus Patriæ potestatis & familiæ transferat, *l. pen. C. de adopt.* Qua de causa & Doctores plerique illam quæstionem; *An plebejus à Nobili adoptatus fiat nobilis?* ex hac plena adoptione decidunt. Scilicet affirmat eandem *Arum. in Inst. Exercit. 2. Qu. 21. Köppen. Lib. 1. Obs. 57.* Negat cum allegatis *Harprecht. ad §. 12. Inst. de adopt. n. 6.* & quidem (1) ex hac ratione, quod adoptio non sit modus constituendi nobilitatem; sed tantùm patriam potestatem, *l. 1. ff. de adopt.* (2) quia Nobilitas pendet ex Summi Principis Autoritate, & descendit solùm ad procreatos ex sanguine. *Vid. l. 25. ff. de adopt. Tiragvellus de Nobilitate, Cap. 16. n. 6. Struv. Exercit. 3. th. 65. Brunnum. in l. 35. ff. de adopt. Reigeri theatr. Juridic. pag. m. 41. Job. Jacob. Wissenb. in Diss. 4. ad Lib. 1. Pandect. n. 35. ubi dicit, quod adoptio nomen & familiam mutet, Samuel Stryk. in usu moderno pand. Lib. 1. tit. 7. n. 8.* Nos verò distingvimus cum *Tabore, vol. 2. Tractatum pag. m. 616. qu. 36.* inter adoptionem minus plenam & plenioram seu plenissimam, ut dicit. *C. J. A. de adopt. th. 28.* Illa nobilitatem non transfert, quia nec Jus familiæ transfert. *l. 23. 44. ff. de adopt. Math. Steph. Lib. 1. qu. 44. lit. C. Bachov. ad Treutler. Lib. 1. Diss. 2. th. 10. lit. a. pag. 76.* Hæc autem, quia dat Jus familiæ, ideo etiam ejusdem consequens, scilicet Jus Nobilitatis. *D. Locam. qu. Justin. 31.* Nec obstat, quod dissentientes maximè urgeant, hoc modo Jus Nobilitatis in alicujus privati potestate futurum esse, quod utique est de reservatis Summi Principis, *Reinking. Lib. 1. Class. 5 c. 11. n. 25. Conrad. ab Ein*

fidel

fidel de Regal. Cap. 2. sed respondemus, qvòd Jus Nobilitatis per plenam adoptionem datum, non absolutè pendeat à privati potestate; sed à virtute & potentia legis, qvæ vult, ut adoptati dignitas potius augeatur, qvàm minuat. *l. 13. l. 35. ff. de adopt.*

§. VI.

Qvæ autem de plene adoptatis diximus, qvòd scilicet nomen & familiam Patris sui adoptivi consequantur, illud qvòque non negamus de arrogatis, qvippe qvi tanquam personæ sui Juris cum omnibus suis bonis omnino in potestatem & familiam Patris sui arrogantis transeunt. *l. 15. in pr. ff. de adopt.* Et de hac arrogatione in specie notandum est, qvòd ex Principali rescripto, causa cognita, procedat, ita, ut si impubes arrogatus sit, arrogator caveat, si intra pubertatem deceaserit arrogatus, restitutorum se omnia illius bona, iis, ad qvos aliàs fuissent perventura. *§. 3. Inst. h. t. l. 18. ac seqq. ff. b. t.* Et si sine justa causa vel emancipetur, vel exheredetur, præter bona sua, quarta bonorum arrogatoris ipsi relinquenda est. *§. 3. Inst. de adopt.* Qvæ quarta, quando arrogans nullos alios liberos habet, est quarta omnium bonorum. *l. 22. §. 1. ff. de adopt.* aliàs est quarta portionis ab intestato debita, *arg. l. 8. §. 8. ff. de inoff. test.* hodie vel triens, vel semis pro numero liberorum. *arg. Nov. 18. vid. Hoppii exam. Insti. pag. m. 48.*

§. VII.

De his liberis adoptivis sciendum est, qvòd Patri suo adoptivo succedant, qvamdiu non emancipati sunt à Patre adoptivo. Cum enim per emancipationem ipsa adoptio tollatur, utiq; Jus illud ex adoptione qvæsitum simul tollitur. Hinc adoptivi cujuscunqve generis sint, post emancipationem à successione Patris adoptivi planè excluduntur, & suo naturali Parenti iterum succedunt, eo tamen jure, qvo alii liberi emancipati, nam in Patris naturalis potestatem non revertuntur: modò eò vivò fuerint emancipati. Post mortem enim si emancipentur, cum jam ad alios devoluta sit successio Patris naturalis, admitti amplius non poterunt. *Vid. Bachov. ad Treutler. vol. 2. Disp. 16. th. 2. lit. 1.* sed, post *Nov. 118.* etiam mortuo Patre naturali, ab Avo materno emancipatos ad Patris sui successionem venire, verius existimat, *Dn. Strykius in Tract. suo de successione ab Intest. Dis. 1. Cap. 2. th. 40. 42. Qvamvis diesennat Bachov. ad Treutler. vol. 2. Disp. 16. th. 2. lit. 1. & Framzk. Exercit. 8. qu. 6.*

§. VIII. Qvam-

§. VIII.

Quamvis autem liberi adoptati Patri suo adoptivo ab intestato succedant, attamen non uno eodemque modo sese habet hæc successio. Nam adoptati ab extraneo, quamvis non transeant in potestatem Patris adoptivi, sed in potestate Patris naturalis maneant, §. 2. *Inst. de adopt.* succedunt tamen ab intestato Patri adoptivo. d. l. 10. §. 1. Et non tantum Patri adoptivo; sed & Avo Paterno, modò hic in adoptionem confenserit, cujus ratio est in §. 8. *Inst. de adopt.* nec interest, an alii liberi ex justo matrimonio adsint; annon; siquidem adoptivi cum his æqualiter concurrant. l. 5. C. de suis & legiti. hered. Unde etiam parentes Patris adoptivi ab his excluduntur. l. 2. §. 6. ff. ad Sci. Tertul. Quod adhuc hodie obtinere, verius est, cum id nullibi mutatum reperitur Jure novissimo, unde ex Jure veteri decidendum. *Vid. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 16. th. 2. lit. C. Math. Stephani ad Novell. 118. n. 25. Richt. ad aurb. in successione. C. de suis & legiti. lib. 17. Franzyk. Comment. Instit. lib. 3. c. 9. n. 6.* Quamquam ad Jus strictum hanc sententiam restringant aliqui, de æquitate verò aliud obtinere, asserentes; præsertim, postquam parentibus necessariò relinquenda est legitima: quod admittendum, si in fraudem parentis à filio adoptio facta sit, *vid. Forster. de success. ab intest. lib. 5. c. 2. n. 4. Stryk. in tract. de success. ab intest. Diss. 1. Cap. 2. th. 37.* Sed an adoptatus excludat Avum quoad legitimam, inter Dd. disputatur. Quoad Avum res hæc non adeò difficilis est, quia hujus consensus exigitur, si nepos adoptatus ipsi succedere debeat. Nam quamvis Jure novissimo legitima adeò præcisè debeatur Patri & Avo, ut deficiente justa exheredationis causa, auferri nequeat, *Nov. 115. c. 4.* Attamen, cum Avus consentiat in actum adoptionis, qui Jus successionis necessariò connexum habet, non factò filii, sed proprio factò, succedendi jure privatur; inde, se gravatum esse, dicere nequit, *arg. l. 203. ff. de R. J.* Quamvis, si Avus non consentiat, adoptati Avum à legitima ex bonis filii Jure novo debita, non excludant. *Vid. Stryk. d. l. pag. m. 88.* An autem hic adoptatus Aviam excludat, de eo magnum inter Dd. exsurgit dubium. Afferit id *Forster. de Success. Lib. 5. c. 2. n. 4.* sed contrarium verius esse videtur. Cum enim per *Nov. 115. c. 4.* matri legitima plenissimè competat, non simplici arbitrio filiorum relinquendum; an adoptando liberos, ma-

trem

trem non consentientem à successione penitus excludere velint. Est enim hic omninò dispar Avi & Avix conditio; ille in adoptionem consensit; hæc non. Ergò cessat causa exclusionis, & ad legitimam consequendam omnino Avix est concedenda actio. Nec obstat, quod dicant; Aviam hic non excludi à successione per factum filii; sed per juris dispositionem; nam respondeo, quod nullibi in jure cautum sit, illum, cui necessarò debeatur legitima, ab hac excludi posse per adoptionem, si in hanc non consenserit. *Vid. Stryk d. l. pag. m. 88.*

§. IX.

Quod autem ad illos adoptatos attinet, qui ab Avo Materno adoptati sunt, sciendum est, quod hic legis fictio & respectus naturalis concurrant, unde & in potestatem Patris adoptivi transeunt, & Jus sui hereditatis consequuntur. §. 2. *Inst. de adopt. l. 10. in pr. C. de adopt.* Hæc tamen subest differentia, quod ab extraneo adoptatus etiam Patri suo naturali succedat, cujus jura salva mansere. *Vid. §. 2. Inst. de adopt.* hic verò, qui plenè adoptatus est, Patri tantum adoptanti succedat, non naturali, quia in hujus potestate amplius non est. *d. l. 10. in pr. vers. si verò. C. de adopt.* Quod ipsum tamen ratione Patris naturalis in plene adoptato per *Nov. 118.* correctum esse, verius est, dum obstaculum illud (quia in potestate Patris naturalis non est, sed eadem per adoptionem Avi materni excessit) penitus sublatum, & sola naturalis cognatio inspicitur. *Hunn. in resolut. ad Inst. lib. 3. tit. 1. qu. 9. Matth. Steph. ad Nov. 118. n. 28.* Et quamvis contrarium velit *Bachov. ad Treutler. vol. 2. Diss. 16. tit. 2. lit. 1. in fin.* putans *d. Nov. 118.* ad hunc casum specialem Juris veteris non esse extendendam, vix tamen in eo meretur applausum. Dicit quidem *Bachov.* quod nihil mutatum sit per *d. Nov.* quoad successionem adoptivorum; attamen mutatum aliquid est quoad successionem legitimè natorum, ne ipsis noceat dimissio ex potestate patria: quorsum & præsens casus pertinet. Deinde & in eo differunt, quod ab extraneo adoptatus ex testamento Patris adoptivi nihil capiat, nisi ex liberalitate Pater adoptivus aliquid reliquerit. *d. l. 10. §. 1.* Qui autem ab Avo materno adoptatus est, ille etiam in testamento heres instituendus, aliàs quæralam habet. *d. l. 10. in pr. vers. in hoc casu.* Huc etiam respicit §. 2. *Inst. de adopt.* ubi dicitur, quod liberi adoptivi, quamdiu sunt in

B

pote-

potestate Patris adoptivi, ejusdem Juris habeantur, cujus sunt iustis nuptiis qvæfiti, ita, ut vel heredes instituendi, vel exheredandi sint.

§. X.

Idem autem Jus, qvòd scil. ab aliquo ascendentium adoptatus, in successione tam testata, qvàm intestata habet, habebunt quoqve liberi arrogati, qvia in familiam & potestatem Patris arrogantis transeunt. *Forst. de success. ab intest. d. l. 5. c. 4.* Sed hoc speciali Jure gaudent impubes arrogati, qvòd, si sine justa causa emancipati vel exheredati fuerint, præter bona propria, qvæ ad Patrem arrogantem transtulerunt, adhuc quartam partem bonorum Patris arrogatoris petere possint. §. 3. *Inst. de adopt.* Non quidem per qverelam inofficiosi testamenti; sed per conditionem ex constitutione Divi Pii. l. 2. §. 15. ff. *de inoffic. test.* Hæc verò quarta est omnium bonorum quarta, si arrogator nullus alios liberos habeat. §. 3. *Inst. de adopt. l. 22. §. 1. ff. de adopt.* sed quando liberi adsunt, tunc hæc quarta est legitima portio portionis ab intestato debitæ. *arg. l. 8. §. 8. ff. de inoffic. test.* Nempe vel triens, vel semis pro numero liberorum, *arg. Nov. 18. Vid. Hoppis Exam. Instit. pag. m. 48. Bachov. in Comment. ad Instit. §. 3. Inst. de adopt. Struyck. d. l. pag. m. 89.*

§. XI.

De omnibus hisce adoptatis, cujuscunqve generis sint, sciendum est, qvòd uxori Patris adoptivi non succedant. *Vid. l. 10. §. sed ne C. C. de adopt.* Nisi femina ex indulgentia Principis filios adoptaverit, *vid. §. 10. Inst. de adopt.* tunc enim hi ipsi ad successionem matris quoqve admittendi sunt. Licet enim nec hos in potestate habeat femina, eo tamen jure habebit, qvò masculus extraneus ipsos habet; siquidem mulieri non permittatur ita adoptare, ut liberos habeat in potestate; sed, ut orbitatem suam & dolorem, quem ex amissione liberorum concepit, soletur. Extra illum casum, cum illicita sit adoptio mulieris, ejus destinata affectio jus nullum adoptato tribuit. l. 29. §. 3. ff. *de inoffic. test. l. 8. C. de presc. long. temp. vid. Coll. 7. Arg. pag. m. 56.* qvamvis hoc notandum sit, qvòd, licet femina adoptatos non habeat in potestate, possunt tamen filii adoptivi de matris adoptivæ testamento inofficioso qverelam movere. l. 29. §. 3. ff. *de inoff. test. Vid. Meyeri Colleg. Jur. Arg. pag. m. 55. ib. 56.*

CAP. III.

CAPUT III.

De

*Raro adoptionis usu in Germania, & de unione
prolium.*

§. I.

Illud quidem asserimus, quod in Germania sit rarus adoptionis usus; sed non concludimus cum *Dn. Græmvegen de LL. abrogatis ad Inst. b. 2.* quod adoptionum jura planè in desuetudinem abierint; neque facimus cum illo, quando alumnos & adoptivos pro iisdem habet & confundit. Jamdudum enim inter alumnos & adoptivos Jure Romano differentia fuit. Nam nec alumnos olim heredes instituere necessum erat, nec pro filiis vel cognatis reputabantur. *l. 132. in pr. ff. de V. O.* Unde & alumnam uxorem ducere, fas erat. *l. 26. C. de Nupt.* quod in adoptiva non licebat. *§. 1. & 2. Inst. de Nupt.*

§. II.

Quando itaque in §. 1. hujus Capit. de raro usu adoptionis differimus, tunc firmiter stabilimus, quod adoptionis Jus hodie non abrogatum sit; sed, si quis velit secundum Romani Juris dispositionem adoptare filium, id ipsi adhuc liceat. Negat hoc quidem *Gudelinus de Jure nov. lib. 1. c. 13.* & *Christinaus vol. 4. dec. 180. n. 5.* verum ex ratione minus concludente. Putat enim hi Viri, quod adoptionum jura id eo cessent; quia & leges locorum particulares de iis tacent; sed respondemus, quod illæ ex Jure Romano supplendæ sint; & quod hæcenus nulla statuta producta sint, quæ adoptandi licentiam Civibus ademerint: quod Jus ergo mutatum non est; quare stare prohibeatur? *arg. l. 27. C. de testam.* Potius docemus, quod adoptiones Romanorum in Germania receptæ sint. *Vid. leges Longobard. lib. 2. tit. 16. apud Lindenbrog. fol. 608. & capitul. Caroli Lib. 6. Cap. 207.* siquidem harum usum modernum in Germania abundè probent concessionibus Comitibus Palatinis indultæ; ubi sæpius hæc leguntur verba: *Esin und Echter zu adoptiren und zu arrogiren / oder die von andern geschene adoptiones und arrogationes zu confirmiren / ic.* Quem quoque usum præjudiciis probare possumus. Unde *Hahn. ad Wesemb. tit. de adopt. n. 5.* sententiam aliquam secundum adoptionum

B 2

Jura

Jura pronuntiatam, refert. Alia præjudicia habet *Richierus de successi-
ab intest. sect. 1. membr. 2. n. 15. Strykius ad Pand. Lib. 1. ut. 7. §. 4.* Unde
ex sola appellatione, filius non fit adoptivus, nisi secundum Juris dispo-
sitionem adoptio facta sit; quia adoptio est actus legitimus, qui non in
privati arbitrio consistit, an aliquem pro adoptivo habere velit, an non;
sed coram Magistratu fieri debet. *§. 2. Inst. de adopt. l. 2. ff. de adopt.*
Et quamvis Pater actis intervenientibus aliquem filium suum nomina-
verit, tamen inde Jus filii non consequitur. *§. fin. Inst. de adopt. Cum
non nuda voluntas; sed, vel natura, vel solemnibus adoptio filium faciat.
l. 1. ff. de adopt. Et asseveratio nuncupantium filios veritati nihil præju-
dicat. l. 3. C. de testam. l. 1. §. C. de probat. Quod in praxi hodierna nul-
libi mutatum; hinc secundum Jus commune pronuntiandum est. *arg.
l. 27. C. de testam.* Quamvis non negemus, posse eum, qui in testamento,
ab aliquo filius adoptivus nominatur, & heres instituitur, si fortean testa-
toris agnati & cognati ratione adoptionis litem ipsi moveant, implorare
Principem, ut talem adoptionem confirmet. *Vid. l. 38. ff. de adopt. Cui
decisioni ea succedunt, quæ leguntur in Nov. 74. Cap. 2. Auth. item sine
legitimis. C. de natur. lib. quod, quamvis filius post mortem Patris alias
legitimari nequeat, si tamen Pater in ultima voluntate eum vocaverit
filium, hanc dispositionem offerre Principi, & ab eo etiam post mortem,
ubi aliis jam delata est successio, legitimationem impetrare possit. Vid.
Stryk. ad Pand. Lib. 1. tit. 7. §. 7.**

§. III.

Cum itaque in Germania rarus adoptionis usus sit, hinc unionem
prolium modernis moribus magis obtinere, eandemque in locum ado-
ptionis successisse, communiter asserunt, *Gail. Lib. 2. Obs. 125. Webnerus
in Observat. Pract. voc. Ein Rindschafft.* Sed, si verum fateri fas est,
æquè in praxi rara est, quam ipsa adoptio. Nam dicit *Dn. Strykius d. l.
pag. m. 115.* quod intra 20. annos ex variarum Germaniæ Provinciarum
Actis Facultati Juridicæ Francofurtensi oblati, nunquam unionis pro-
lium Casum observare licuerit; cum tamen hæc prolium parificatio sit
præcipuè inventum Germanorum, adeo, ut legibus civilibus non tan-
tum incognita; sed fere penitus contraria sit, cum contineat pactum
futuræ successiois, legibus Romanis prohibitum, *l. 15. C. de pactis.
Carpzov. Lib. 5. R. 6. n. 3. & seqq.*

§. IV. Defectio-

§. IV.

Describitur autem unio prolium, quod sit conventio parentum de liberis diverforum matrimoniorum ratione successionis adæqvandis, ut tam quoad Patrem, quàm Matrem pares censeantur, ac si ex eodem matrimonio prognati essent. Ut autem hæc conventio subsistat, requiritur (1) consensus parentum, (2) consensus ipsorum liberorum unitorum. *Carpzov. Lib. 5. R. 6. n. 19.* Et si hi propter ætatem consentire nequeant, tutorum consensus adhibendus est. *Gail. Lib. 2. Obs. 125. n. 5.* (3) Consensus cognatorum propter futuræ successionis præjudicium. *Id. Rick. de Union. Prol. Cap. 6. n. 8. & 19. Muscul. de Success. Anom. Cap. 3. n. 93.* (4) Autoritas Magistratus, ut coram eo causa cognoscatur, num hæc unio expediat liberis. *Carpz. Lib. 5. R. 6. n. 19.* Sed & decreto Magistratus, hæc unio solemniter confirmanda est. *Muscul. d. l. membr. 3. n. 83.* Et quamvis *Mev ad J. Lub. P. 2. tit. 1. in addit. ad n. 113.* hoc decretum ad cautelam abundantem referat; attamen omitti nequit. Ubi enim causæ cognitio est necessaria, ibi decreti interpositio omitti nequit; atqui in unione prolium, causæ cognitio est necessaria. Ergo, omitti nequit. Quamvis & hoc notandum sit, quod causæ cognitio in unione prolium non possit fieri coram Judice incompetente, quod tamen affirmat *Habu. de Jur. rer. concl. 73. Rick. de Union. Prol. c. 6. n. 27. Muscul. d. membr. 3. n. 69. Carpz. Lib. 5. R. 6. n. 16.* sed contrarium verius est, quia hic actus non est simpliciter voluntariæ Jurisdictionis; sed quodammodo mixtæ, cum causæ cognitionem non vulgarem, sed accuratam exigat, talia verò quæ sunt, in Judicio competenti debent expediri. *Confer. Hillig. in Don. Lib. 17. Cap. 8. lit. b. & seq.*

§. V.

Quoad unionis prolium effectum, sciendum est, quod Jus ex hac unione quæsitum, non possit tolli. Cum enim Jus ex contractu quæsitum, ultima voluntate alterius paciscentium immutari nequeat, meritò statuendum est, quod nec Jus ex unione quæsitum, liberis à parentibus auferri possit. *Rick d. tr. c. 3. n. 18. Muscul. d. membr. 3. n. 35.* Obijciunt quidem dissentientes, quod nemo sibi testamenti factionem adimere possit; sed hoc principium hodie ob notissimam pactorum successionum efficaciam falsum est. Quare dicendum puto. Si unio facta quoad

quoad omnia bona indistinctè, nec quicquam exemptum, non superesse testamenti factionem etiam si læsio legitimæ cesset; cum Jus, quod liberi ex pacto habent, alterius arbitrio non subjaceat. Aliud ergo foret, si liberi tantum uniti, & de bonis nihil dispositum esset, ita enim hoc tantum obtinent, ut æqualem succedendi spem habeant, salva tamen testamenti factione usque ad legitimam *Stryk. d. l. pag. m. 118. 119.*

§. VI.

Licet autem Jus ex unione prolium quæsitum non possit tolli per testamenti factionem, attamen potest tolli per pactum contrarium. Nihil enim vetat, Jus ex pacto quæsitum contrario pacto dissolvere, *arg. l. 35. ff. de R. J.* Non autem licet ex veritate Juris statuere, quod unio prolium, si quis ex liberis unitis ingratitude erga unientes commiserit, tollatur, id quod asserit *Rick, d. tr. Cap. 10. n. 40. Muscal. de success. anom. Claus. 1. membr. 3. n. 138. Mev. ad J. L. P. 2. tit. 1. proem. n. 115.* Sed contrarium est verius, quia nullus in Jure casus proditus est, ubi ingratitude jus ex pacto vel contractu quæsitum tollat; excepta donatione, *l. fin. C. de revoc. donat.* Æquitas tamen superiorem sententiam, quod scilicet unio hæc per ingratitude tollatur, defendit, licet expresso Jure destituamur.

§. VII.

Deinde & sciendum est, quod parentes filiis unitis non succedant. Et si enim regulariter successio sit reciproca, hoc tamen in conventionali non obtinet, nisi pacto expressum sit. *Vid. Nicol. Besf. de pact. fam. Illustr. C. 5. p. 133. & seqq.* Et ex eodem fundamento dependet, quod unio prolium non inducat effectum successiois quoad ipsos unitos inter se. *Vid. Knipschild. de fam. Illustr. c. 8. n. 438.* Quamvis expresso pacto fieri possit, ut uniti inter se succedant. *Vid. Besold. ad Jus Wurtenb. disp. 3. ib. 91.* Nec obstat, quod ex unione hac non oriatur agnatio, ergo nec successio; nam respondemus, quod hæc non ex agnatione; sed conventionione successiois ratio petatur.

§. VIII.

Tandem quarere solent; an per hanc quoque unionem tribuatur patria potestas? quod negamus, etiam si pacto unionis expressè insertum sit. Non enim patria potestas ex conventionione privata acquiritur; sed modis Jure receptis. *Rick. de Union. Prol. c. 8. n. 1. & seqq.* Quod si verò

verò statutum unionem prolium confirmans patriam potestatem comprehendat, non dubito illam hac unionem acquiri, cum statuti regulariter eandem vis sit, quæ legis. *Vid. Bachov. ad Treutl. vol. 1. d. 2. th. 11. lit. E.*

CAPIT IV.

De

Casibus quibusdam connexis.

§. I.

Cæcus potest adoptare. Nam, quia cæcus matrimonium contrahere potest, & ex eo liberos suscipere, dubium non est, quin & per adoptionem sibi liberos quærare possit. Adoptio enim naturam imitatur, *S. 4. Inst. de adopt. l. 16. ff. eod.* Hinc in *l. 9. ff. de adopt. decidit Jctus, cæcum & adoptare & adoptari posse. Vid. Anon. Fabri rational. ad d. l. 9. ff. de adopt. Stryk. de Jure sens. pag. m. 120. n. 12.*

§. II.

Surdi & muti habent facultatem adoptandi, quia (1) matrimonium contrahere possunt, (2) quia, ut filium suum alteri adoptandum dent, ipsis indulgetur in *l. 29. ff. de adopt. nec obstat, quod Anton. Faber ex d. l. colligere velit, aliquem adoptari non posse, nisi verba accedant respectu adoptantis. Respondemus, quod sufficiat, si surdi & muti voluntatem suam sufficientibus indicibus exprimere potuerint: & facile solemnitatem verborum supplebit Magistratus. Vid. Stryk de Jure sens. pag. m. 232.*

§. III.

Per adoptionem contrahitur quidem cognatio legalis, quæ Jure Civili matrimonio impedimentum injicit, uti patet ex *§. 1. 2. Inst. de nupt. l. 12. §. 14. ff. d. ritu nupt.* sed hodie hanc cognationem non amplius attendi, communiter statuunt. *Vid. Havem. in Gamolog. Synopt. lib. 2. tit. 6. Problem. X. n. 2.* quia (1) impedimentum illud, quod ex hac cognatione nascitur, tantummodò est ex lege positiva, nec ad matrimonii contracti dissolutionem rectè extenditur, dum vinculum divinum non debet solvi autoritate & arbitrio humano. (2) Quia per adoptionem nulla carnis propinquitas contrahitur. *Vid. Ziegl. ad Instit. Lancel. pag. m. 455. 456. Brunn. in Jure Eccles. pag. m. 613.* Hinc asse-

(16)


asserimus cum allegato Dn. Brunnemanno, d. l. quod in quacunque linea, ratione adoptivorum, dispensationi possit esse locus. An autem dispensatio in hoc casu planè rejicienda & abneganda sit, de eo non convenit inter Doctores. Nos dicimus, quod, cum Leges Civiles & in conscientia obligent, ad hoc hodie dispensationem petendam esse. Et si quis dixerit, consuetudine illam legalem cognationem tolli posse, vel sublatam esse, tunc prius quidem concedimus, sed posterius, cum facti sit, probandum est. Nec mox ex hoc casu, quando quis puellam ut filiam educavit & deinde eam uxorem duxit, colligendum est, quod filiam adoptivam moribus ducere liceat. Negamus enim hanc adoptivam esse, cum privata voluntas Patris habitis aliquam pro filia, eam non faciat filiam. *S. fin. Inst. de adopt.* Sed vel Principis, vel Magistratus autoritate hoc fieri debet. *S. 1. Inst. de adopt.*

S. IV.

Liberi adoptati in immediata Germaniæ territoria non succedunt. *Vid. Titii specimen Juris publ. Romano Germ. lib. 4. c. 4. S. 10.* nisi ex eorum consensu, quorum interest, adoptatio à Principe ita facta fuerit, ut etiam in territoria succedant, & illustrem conditionem, ubique valituram. *Vid. Tit. d. l. Cap. 9.*

S. 10.

TANTUM.




(x228 2796)

ULB Halle
005 372 038

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Pr. 32. nem. 5. 48

1709, 2

19

DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA,
De Quaestione:
An adoptatus nomen & fami-
liam patris adoptantis
consequatur?

Qvam
In Academia Gryphiswaldensi,
Sub PRÆSIDIO
**D. JOHANNIS
SCHACKII,**
Professoris Juris Ordinarii, & Consi-
storii Ecclesiastici Assessoris,
publicè

In Auditorio Majori
die Augusti, Anno 1709.
defendet
DH. GEORGIUS SCHILLING,
Gryphiswalda - Pomeranus.

GRYPHISWALDIÆ,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

